

## V.

Verum aliter diuino numini visum fuit. A summo enim patrono suo, Schurzfleischio, a. MDCCC. Perillustri & Excellentissimo Viro, JOHANNI CHRISTOPHORO L. B. DE LIMBACH, Potentissimi Electoris Brunsvicensis & Luneburgensis Consiliario intimo, & in comitiis Ratisbonensibus oratori, rebus omnibus ornato, de meliore nota commendatus, Ratisbonam vocatus, & studiis moribusque filiorum ejus formandis praefectus est. Quae quidem statione ita eum functum esse scimus, ut hero suo cumulate satisfecerit. Nec datam a fortuna occasionem dimisit, statum imperii nostri propius inspiciendi, historiam Germanicam ex veris fontibus hauriendi, linguas exoticas penitus noscendi, atque prudentiam practicam, magnum illud vitae humanae subsidium, sibi comparandi. Ex quo satis intelligitur, breuem quoque mansionem Ratisbonensem Verpoortennio nostro maximo vsui in omni sua vita fuisse.

## VI.

Breuem autem hanc ejus commemorationem Ratisbonae consilia monitaque materna, & turbulenta, in quae tum imperium incidit,